



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 52. Regis Consilium de solvenda Novariensi obsidione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A.C. 1495.

§. LII.

Regis consilium de solvenda Novarriensi obsidione.

Interea Rex continuo Pedemontii hærebat, ubi jam Astam, jam Chierium, aut Vercellas divertit, parum anxius de ferenda ope Duci Aurelianensi, utpote qui haud amplius tanquam proximus regni hæres colebatur, cum ipsemet Rex jamjam filium suscepisset Delphinum quatuor ferme annos natum: quapropter Senatorum, qui Duci minus favebant, consilia longe magis prævalebant suasionibus Brissonetti Cardinalis, & Georgii de Ambasia Rothomagensis Archiepiscopi, qui Regi auctores erant, ut foederatorum munimenta vi perfringeret, cum Ducis, Gallorumque, qui cum eo erant, salutem, libertatemque procurandi nullum aliud superesset remedium. Tandem Rex repente sententiam suam mutavit, utque recentes, quibus Chierii in quadam nobilem foeminam Annam Sorelli nomine exarserat, amoris flammam honesto obvelaret prætextu, Sabaudicæ Ducissam rogavit, quatenus Vercellanam urbem ei concederet, ut Novariensi urbi magis expeditum afferret subsidium. Annuit Ducissa, Rexque, licet nonnisi decem millia postulasset, viginti tamen millia

millia Helvetiorum obtinuit, quibus sup-
 petiis auctus omnem intendit operam, ut civitatis obsidionem solveret, ac foederatorum obsidionales fossas circa urbem ductas superaret; hæc tamen ideo omnia dextre inventa fuere, ut rumor late disseminatus paulatim refrigesceret, quo passim spargebatur, quod longioris, quam rerum suarum ratio postularet, moræ causa fuerit immoderatus præfatæ mulieris amor.

Sæcul. XV.
 A. C. 1495.

§. LIII.

Concordia Regem inter & Florentinos.

Hæc dum geruntur, interrupta resumuntur Florentinorum negotia, qui urbes suas sibi restitui petebant; nec concordiae pactum ultra unam diem tenuit, causam maturante pecuniarum inopia, qua Galliarum Rex premebatur: ergo utrinque sancitum I. Respublica Carolo mox triginta aureorum millia, & septuaginta millia Mompensero Neapolitis Pro-Regi numeraret, II. obsides daret sex civium præcipuos; III. Rex quantumcuius Florentinis redderet cunctas eorum urbes, exceptis Seresana, & Petra sancta, quæ Genuensibus restituerentur, si illi intra biennii spacium denuo Franciæ imperio sese subjecturi essent, alioqui Florentinis redderentur; IV. idem

Guic. l. cit.

1. 1. 1. 1. 1.
 2. 1. 1. 1. 1.
 3. 1. 1. 1. 1.

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

F dem